

Ripas igitur regis Principum in Germania iuribus esse annu-
 randas negamus, ex ea imprimis ratione, quia neque lege, neque
 consuetudine generali fisco Principis addictae fuerunt. Possent qui-
 dem pro accessione fluminis haberi, ut eandem sequi viderentur na-
 turam, sed nec hoc ex moribus maiorum admitti potest, qui territo-
 rium suum usque ad ipsum flumen semper extenderunt, ut proprietas
 vicinorum ripas absorberet, neque unquam Quiritium more territo-
 rium flumini, in quo exspatiaretur, aut cuius finibus coereretur, ad-
 signatum reperiretur. Quibus rationibus etiam ius Romanum accedit,
 quod, quia haec quaestio de finibus proprietatis regundis est, omnino
 applicabitur, ut ipsam experientiam, seu quam nostrates dicunt con-
 suetudinem taceam, qua opinionis nostrae veritas confirmatur. Causa
 autem eadem atque apud Romanos mihi esse videtur, riparum munien-
 darum necessitas, quam statuta et leges Germanorum fere omnes sub
 iactura interdum praedii iniungunt vicinis'). Itaque in litteris inuestitu-
 rarum rara fit riparum mentio, etiamsi vasallorum praedia ad aquam
 praeterfluentem usque porrigantur, quod si vero interdum fit, ripae
 in numero earum rerum ponuntur, quae iuris privati semper et
 ubique existimantur et pro accessionibus omnium praediorum
 habentur.

Neque Principes sibi iurisdictionem in ripis fluminum publico-
 rum vindicant, quam alioquin in rebus et praediis potestatis suae mo-
 re maiorum exercent, ut a dominio Principis separari non posse vi-
 deatur. Itaque cognovimus quidem Principem eiusque magistratum,
 cui iurisdictionem fluminum publicorum delegavit, cadauera in vndis
 reperta tollere, sed mox in ripa iudici loci ordinario tradere, ut me-
 rum adeo vasallorum imperium in terra fluvio proxima agnoscat.
 Ex quibus omnibus intelligere mihi videor, ripas esse iuris dominiique
 privati.

A 3

CA-

finitionem Regis Porufforum Ministri sequebantur. Quam equidem in
 Germania esse sequendam non puto, quippe Paullus ad eorum fluvio-
 rum ripas respexit, qui certum modum ultra fines suos auctoritate pu-
 blica adscriptum habebant, ideoque cum Vlpiano sentio, cuius definitio
 naturae rei convenit, nisi maior latitudo aut litteris clientelaribus aut
 pactis conventis, aut usu et consuetudine probetur.

11) cf. GADENDAM *Historia Iuris Cimbrici*, p. 61. p. 37.